DE

L. DOMITII AHENOBARBI

EXPEDITIONE

IN

GERMANIA TRANS ALBIM

DISPVTATIO

QVAM

AMPLISS. ORDINIS PHILOSOPH.

CONSENSV

PRAESIDE

CHRISTIANO GOTTL. IOECHERO

THEOL. DOCT. ET HISTORIAR. P.P.

A. D. XXXI. DECEMBR. CIƆIƆCCXXXXVIII.

AD

DISCEPTANDVM PROPONIT

AVCTOR RESPONSVRVS

ANDREAS WAGNERVS

LIPSIENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

VIRO

ILLVSTRI SVMME REVERENDO

ATQVE MAGNIFICO

CAROLO OTTONI RECHENBERG

ICTO CELEBERRIMO

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS
AC SERENISSIMI SAXONIAE PRINCIPIS
ELECTORIS
A CONSILIIS AVLAE ET IVSTITIAE
SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS
ADSESSORI PRIMARIO
ECCLESIAE CATHEDRALIS MARTISBVRGENSIS
CAPITVLARI
COLLEGII S. SIXTI PRAEPOSITO
DECRETALIVM IN HAC ACADEMIA LIPSIENSI
PROFESSORI PVBLICO
ACADEMIAE DECEMVIRO
COLLEGII MINORIS PRINCIPVM SOCIO
ET
FACVLTATIS IVRIDICAE
ORDINARIO

PATRONO VENERANDO

VIR

ILLVSTRIS ET SVMME
REVERENDE

PATRONE VENERANDE,

Numquam ſine omni metu haec humaniorum litterarum qualiscunque meae ſcientiae prima ſpecimina TIBI, VIR SVMME REVERENDE et MAGNI-

 FICE

FICE, offerre, ILLVSTRIQVE NOMINI TVO *inſcribere auſus eſſem, niſi illud, quod* TE *cum parentibus, in quorum laudem ſat eſt, dixiſſe;* TE *eorum fuiſſe amicum, coniunxit affinitatis et amicitiae vinculum, certiſſima mihi, quibus hanc temeritatem defenderem, praeberet praeſidia. Permittas,* PATRONE OPTIME, *vt, quam eximius mihi gentique meae ex* TE *naſcatur ſplendor, publice oſtendam. Tantam enim in eo felicitatis meae poſitam eſſe partem, puto, vt omnes qui me*

non

non ſolum vnius maximorum noſtrae aetatis virorum frui patrocinio, ſed arctiori quoque affinitatis cum eo coniunctum eſſe vinculo, audiunt, de tanto honore mihi gratulaturos, confidam. Suſcipe igitur VIR ILLVSTRIS, eo, quo ſoles, humanitatis pleniſſimo vultu hoc pietatis meae documentum, magnitudini quidem ILLVSTRIS NOMINIS TVI parum reſpondens, certiſſimum tamen iſtius, qua TE veneror, reuerentiae ſignum. Numquam enim ego de ſplendidis TVIS virtutibus ſummisque

meri-

meritis cogito, quin patriae ardentiſſime exoptem, vt SVMMVM NVMEN tantum virum, in rei litterariae incrementum, ACADEMIAE LIPSIENSIS ſalutem, noſtraeque aetatis ſplendorem et ornamentum per multos annos ornatum et omni bonorum genere cumulatum praeſtet.

VIR ILLVSTRIS ET SVMME REVERENDE

PATRONE VENERANDE

ILLVSTRI NOMINE TVO

deuotiſſimus cliens

Andreas Wagnerus.

Quae saepius inter eruditos agitata est quaestio, an Romanorum arma vnquam in Germania trans Albim perlata sint? commouit et omnes, qui ex instituto patriae nostrae historiam sibi pertractandam sumserunt, et multos alios de antiqua historia longe meritissimos viros, vt de Drusi, Tiberii et Germanici, qui vsque ad Albim victrici exercitu peruenisse dicuntur, in Germania expeditionibus studiose quaererent, hocque anno ACADEMIAM SCIENTIARVM, quae BEROLINI floret, impulit, vt hanc quaestionem ponerent, quae explicetur. Nec inanem in eo studio curam operamue posuerunt viri magni. Quae enim in legendis antiquorum scriptis, quorum frequenti in exponendis rebus a Romanis in Germania gestis, dissensu in varias partes legentium distrahuntur animi, obscura et incerta erant, comparatis eorum locis, per rationes ex conditione tempo-

ris, regionum ſitu, aliisque hiſtoriae momentis ductas egregie explicarunt. Quae vero nuper in laudata Academia pretium tulit SVMME REVERENDI VIRI DV FEIN commentatio, huius legendae omnium ſumma eſt expectatio. Reperiuntur enim quaedam temporum ſpatia, incerta adhuc nec ſatis expedita, quae antiqui hiſtoriae ſcriptores vel taciti prorſus praeterierunt, vel perobſcure tractarunt. Eiusmodi ſane eſt illorum poſt bellum a Tiberio in Germania geſtum et A. V. C. IↃCCXLVII. confectum, octo annorum hiſtoria, in qua tanta eſt ſententiarum varietas, vt, quot eam explicandam et expediendam ſuſceperint, tot tamque variae fere ſint opiniones. In hoc tempus M. Vinicii, L. Domitii Ahenobarbi, Sentii Saturnini conferunt quidem viri docti res geſtas; ſed neque certum earum tempus conſtituere, neque, quas geſſerunt res, exponere, neque regiones, in quibus pugnatum eſt, definire poſſunt. Ex quo quamquam nullus recentiorum in pertinaci illo veterum ſilentio iuſte accuſatur, verumtamen non poſſum non mirari, inter tot viros eruditos reperiri neminem, qui de L. Domitii Ahenobarbi trans Albim expeditione copioſius quaeſiverit. Non eo quidem inficias, haud multa de ea commemorari poſſe, de qua praeter pauca TACITI verba nihil in antiquis hiſtoriae Romanae ſcriptoribus legitur; putarem tamen, ex componendis iis, quae veteres de bellis in Germania geſtis tradiderunt, et inuicem, et cum temporis ratione, populorum ſedisque eorum deſcriptione et reliqua eius aeui hiſtoria, ne dicam

dicam certi, probabilis tamen aliquid coniici posse. Suscepi itaque, si possem, ei explicandae maiorem dare operam. Quantae vero hoc sit difficultatis, nemo non intelligit, qui considerat, quam lubrico et salebroso in loco versetur, qui ex incertis et obscuris istis, quae nobis cuncti, locupletissimi quoque, antiqui aeui scriptores de Geographia Germaniae, inprimis trans Albim sitae, Romanis tunc temporis fere ignotae, exposuerunt, aliquid veri haurire conatur. Quod quamuis ego intelligo esse difficillimum, tantum tamen abest, vt ea me deterreat difficultas, vt potius animum addat, meque mirifice confirmet. Nemo enim a me, credo, expectabit, vt in hoc quaerendo, in quo vix est, vt supra coniecturam exurgere possis, nec viri doctissimi et in iudicandi arte exercitatissimi tuto iter facere potuerunt, certis argumentis rationibusque necessariis cuiuscunque dubitationis vim frangam, omnemque rem expediam.

§. I.

LOCA ANTIQVORVM DE L. DOMITII IN GERMANIA EXPEDITIONE.

Vt vero statim intelligant lectores, quaenam sint, quae antiqui de L. Domitii Ahenobarbi in Germania trans Albim expeditione commemorauerint scriptores, a recensendis eorum testimoniis initium capiat nostra disputatio. Primum et hoc quidem praecipuum est TACITI, [a] quod quamquam alia quoque, quae ad rem no-

a) A. L. IV. c. 44. §. 2.

ſtram nihil facere videntur, continet, inſtituti tamen poſtulat ratio, vt plenius illud huc transferamus. *Eo anno* [b] *obiere viri nobiles Cn. Lentulus et L. Domitius — Domitium decorauit pater ciuili bello maris potens, donec Antonii partibus mox Caeſaris miſceretur. Auus Pharſalica acie ceciderat, ipſe delectus, cui minor Antonia Octauia genita in matrimonium daretur. Poſt exercitu flumen Albim tranſcendit, longius penetrata Germania, quam quisquam priorum, easque ob res inſignia triumphi adeptus eſt.* En cuncta quae de traiectu fluminis Albis duce Domitio facto, vnus inter omnes refert TACITVS. SVETONIVS [c] enim, quamquam in ſtemmate Neronis Imperatoris deſcribendo, Domitii victoriae et ornamentorum triumphalium ei ex Germanico bello decretorum, mentionem facit, exercitu tamen flumen Albim eum tranſcendiſſe haud memorat. *Ex hoc* (Cn. Domitio proauo Neronis Imperatoris) inquit, *Domitius naſcitur — non minus aurigandi arte in adoleſcentia clarus, quam deinde ornamentis triumphalibus ex Germanico bello.* Habes itaque TACITI ac SVETONII et in his omnia, quae de bello a L. Domitio in Germania geſto reperiuntur, teſtimonia. Neque enim DIO CASSIVS, neque VELLEIVS PATERCVLVS, neque reliqui eius aeui ſcriptores verbo illud tetigerunt. Sed addamus his, ne poſtea vagari et errare noſtra cogatur oratio, ea quae TACITVS

b) qui eſt annus vrbis conditae IↃCCLXXVIII. quo Cornelius Coſſus et Aſinius Agrippa COSS. fuerunt.

c) in Vit. Ner. c. IV.

TVS[d] de tramite quondam a L. Domitio in Germania aggerato tradit. Is, vbi bellum a Germanico contra Arminium geſtum, exponit: *Reducto ad Amiſiam exercitu*, inquit, *legiones, vt aduexerat, reportat, pars equitum littore Oceani petere Rhenum iuſſa. Caecinna, qui ſuum militem ducebat, monitus, quamquam notis itineribus regrederetur, pontes longos quam maturrime ſuperare. Anguſtus is trames eſt, vaſtas inter paludes, et quondam a L. Domitio aggeratus.*

§. II.

DE L. DOMITIO AHENOBARBO.

Videamus nunc, quis fuerit ille Domitius? Quod dum agimus, haud e re erit, quaedam nec inutilia forſitan ad explicanda iſta TACITI et SVETONII loca afferre. Ex familia Ahenobarborum, avumque Neronis fuiſſe, memorat SVETONIVS, animumque eius foedis atque nigris depingit coloribus. Sed in his ampli eſſe nolumus. De honoribus potius eius videamus, vt ex hiſtoria vitae Domitii appareat, quodnam tempus rebus eius in Germania geſtis, ſit aptiſſimum. Ex verbis, quae laudatum antea SVETONII locum ſequuntur: *Cenſorem L. Plancum via ſibi decedere aedilis coëgit*, ex his, inquam, verbis apparet, Domitium A. V. C. IↃCCXXXI. fuiſſe Aedilem[e]. Eo enim anno L. Mu-

d) A. I. I. c. 63. §. 5.

e) Neſcio ſane, quid ſit, quod TORRENTIVM monuerit, vt in notis ad hunc SVETONII locum quae-

nacium Plancum censuram cum P. Aemilio Lepido gesſiſſe ex DIONE CASSIO [f] conſtat. Qui poſtquam expoſuit, Auguſtum eo anno Dictaturam recuſaſſe, addit: τὸ δὲ αὐτὸ τῦτο καὶ τιμητὴν αὐτὸν διὰ βίυ χειροτονῆσαι βυλομένων ἐποίησεν. ὅτε γὰρ τὴν ἀρχὴν ὑπέςη, εὐθὺς ἑτέρους τιμητὰς, Παῦλόν τε Αἰμύλιον Λέπιδον, καὶ Λέκιον Μυνάτιον Πλάγκον ἀπέδειξεν. *Hoc idem etiam, cum vellent eum Cenſorem perpetuum creare, fecit. Neque enim hunc magiſtratum ſuſcepit, ſed ſtatim alios Cenſores Paulum Aemilium Lepidum et Munatium Plancum fecit* [g]. Praeturae et Conſulatus Domitii eodem loco mentionem facit SVETONIVS, nec tamen annos, quibus iſta geſſit munera, definiit. Praeturam eius et PIGHIVS et omnes, qui iſtis deſcribendis temporibus operam dederunt, omiſerunt.

quaereret; *qua fronte Aedilis Cenſorem viam ſibi cedere, durante magiſtratu, cogere potuiſſet?* indeque concluderet: *non immerito quendam pro Cenſore Cenſorium legendum eſſe exiſtimaturum*, quamquam ipſe fatetur, *Cenſorem* aperte legi in omnibus fere exemplaribus. Quod ſi haud magnae arrogantiae moribusque Romanorum huius aeui prorſus contrarium fuiſſet factum, Suetonius illud non vt documentum arrogantis Domitii animi attuliſſet. De quo dubitantes ad notas VIRI CELEBERRIMI ERNESTI, quem honoris cauſa vocamus, ad hunc locum doctiſſimas ablegamus.

f) H. R. L. LIV. edit. Sylburg. pag. 521.

g) Lubet ex his obiter coniicere, Domitium noſtrum natum eſſe A. V. C. IↃCXLIV. Nec tamen quis indubitabiles a me requiret huius coniecturae rationes. Legem, quam Annalem ſiue Annuam vocant Romani, ſequor, qua annus aetatis triceſimus ſeptimus ad Aedilitatem petendam erat conſtitutus. Iam ſi ſtatuimus, anno IↃCCXXXI. Domitium fuiſſe Aedilem, habebimus annum, quem dixi.

runt. Si coniecturae locus est, easdem, quas infra commemorauimus, sequeremur leges annuas. Constat vero, biennio post Aedilitatem Praeturae munus geri fuisse solitum. In annum itaque IƆCCXXXIII. Romae conditae Domitii incidit Praetura. Consul tandem factus est anno tricesimo septimo istius seculi, vt ex DIONE[b], CASSIODORO[i], FASTIS CONSVLARIBVS et FRAGMENTO COLOTIANO constat. Quem vero in hoc gerendo magistratu habuerit collegam, vtrum P. Cornelium Scipionem eique post suffectum[k] L. Tarium Rufum, an alium, in quo definiendo dissentiunt viri eruditi, hoc, quod in re nostra probanda nihil valet, omittimus. Duumvir quoque monetae cudendae fuit, sed quo tempore ignotum. Extat tamen nummus in honorem Augusti ab eo percussus[l]. Plura de honoribus Domitii reperire haud contigit. Reliqua, quae SVETONIVS de Domitio refert, *emtorem fuisse familiae pecuniaeque in testamento Augusti*, *venationes munusque gladiatorium dedisse*, *et equites Romanos matronasque ad agendum mimum produxisse in scenam*, taciti praeterimus. Nec enim instituti nostri ratio ea explica-

re

b) L. IV. p. m. 533.

i) edit. Fornerii Par. 1679. p. 443.

k) Coniiciunt hoc viri eruditi SIGONIVS et PIGHIVS ex fragmenti Colotiani litteris L. DOMITIVM CN. F. P. CO--L. TA--

l) Extat hic nummus in VAILLANT nummis antiquis familiarum Romanarum sub titulo gentis DOMITIAE XIX. Exhibet in altera parte coronam ciuicam inter duos lauri ramos, in quorum medio leguntur verba:

OB
CIVIS
SERVATOS

in altera L. DOMITIVS AHENOBARB. IIIVIR A. A. A. F. F.

re iubet, nec terminos huic commentationi conſtitutos, disquiſitionibus in re noſtra nihil probantibus, egredi, animus eſt. Ad ea tamen breuiter morari liceat, quae dicit SVETONIVS, *ex Antonia maiore patrem Neronis procreaſſe.* Diſſentiunt enim in hoc TACITVS et SVETONIVS. Ille loco ſupra a nobis allato: *minorem Antoniam Octauiam genitam Domitio in matrimonium eſſe datam*, ſcribit. Ego vero multa habeo, quae me moueant, vt in SVETONII diſcedam partes. Huic enim, qui accuratiſſimi in deſcribendis Imperatorum ſtemmatibus prae ſe fert hiſtorici ſpeciem, merito cedat TACITVS, qui haud ex inſtituto, ſed quaſi in tranſitu hoc Domitii cum Antonia minore matrimonium commemorat, et facile in his errare potuit. Accedit et hoc, quod SVETONIVS Antoniam minorem cum Druſo eſſe nuptam, quam ſaepiſſime dicat.

§. III.

RECENTIORVM OPINIONES.

Veterum de familia et honoribus L. Domitii Ahenobarbi teſtimoniis praemiſſis, recentiorum de rebus ab eo in Germania geſtis exponamus ſententias, ſingulasque ſub examinis vocabimus ſubtilitatem. Vt ſtatim appareat, quibuscum nobis res ſit, in duas eos diuidimus claſſes. Cum enim plerique Domitianam expeditionem ad tempus poſt pacem, a Tiberio A. V. C. IↃCCXLVII. cum Germanis, vt opinantur, factam referant

referant, prima nostrae commentationis pars contra eos directa sit. Qui vero in alias abierunt sententias, et in diuersa prorsus tempora hoc bellum collocarunt, contra hos, quod ob nimiam opinionum varietatem coniungi non possunt, post disputabimus. Haec tamen omnia, breuitatis studio ducti, ea ratione tractabimus, vt, si quae sint, quae haud procul a se inuicem distent, ea coniungamus, ne eadem iterum iterumque dicendo, lectori fastidium excitemus.

§. IV.

BVCHERII SENTENTIA EXPONITVR.

Sed nec hi ipsi, qui hoc a Domitio gestum bellum inter A. IϽCCXLVIII. et IϽCCLVII. ponendum putant, omnes inter se conspirant. Alii enim ante M. Vinicii in Germania expeditionem, quae in annum IϽCCLIV. incidit, alii post hanc istud esse gestum, opinantur. De illorum igitur, quorum princeps est BVCHERIVS, vt id temporis ratio postulat, primum quaeramus sententiis. BVCHERIVS [m], enarrata pace a Tiberio

m) in Belgio Romano L. I. c. 24. p. 56. Tiberio absenti quis ad generalia subitaque, quis apud Germanos Inferiores Cisrhenanos adversus Transrhenanos suffectus sit, nullibi lego. Ad subita quidem P. Sulpitium Quirinum Lucae Evangelistae Cyrini nomine memoratum, ego quidem suffectum existimo. Eoque anno, sequente, si non isto, Aemiliae Lepidae generosissimae foeminae coniugio decoratum inferius ostendam. In Germanos nostros, qui hic maxime ad institutum, L. Domitium Ahenobarbum tantisper submissum, videor mihi e SVETONIO TACITOque eruere posse. Erat Domitius Ahenobarbus duarum ex Octauia, Augusti sorore et M. Antonio

berio cum Germanis inita, abſenti Tiberio quis ad generalia ſubitaque ſuffectus ſit, ſe nullibi legere fatetur. Ad ſubita quidem P. Sulpitium Quirinum Lucae Euangeliſtae Cyrini nomine memoratum ſuffectum putat. In Germanos L. Domitium Ahenobarbum tantisper ſubmiſſum e SUETONIO et TACITO colligit, quem Domitium Antoniae ex Octauia, Auguſti ſorore et M. Antonio genitae, cum SUETONIO maioris, cum TACITO minoris maritum, ante decem annos Conſulem, et Neronis Imperatoris avum fuiſſe, dicit. Hunc Rhenanis contra Germanos legionibus aliquando impoſitum, ex SVETONIO et TACITO certe conſtare, et tametſi neuter annum determinet vllum, tamen iſto aptiorem, nullum certo poſteriorem, ſe inuenire, vixque vllum inuenturum, credit. Quae hic BVCHERIVS de vrbe Domitz, deque tramite a L. Domitio ad Rhenum aggerato, commemorat, miſſa facimus, pluribus deinceps de his monumentis acturi. Hoc tantum addamus, quod memoret, Domitium Germaniae inferiori Cisrhenanae praepoſitum eumque, cum ipſi Auguſto affinis eſſet, Tiberio hoc anno ſubſtitutum fuiſſe. Domitio, ſi fidem damus

Antonio genitarum maioris, ſi SVETONIO quidem fidem damus, minoris, ſi TACITO, maritus, ante annos decem ideo Conſul, Neronis poſtmodum Imperatoris auus. Hunc Rhenanis contra Germanos legionibus aliquando impoſitum certo ex SVETONIO TACITOque habemus. Ac tametſi annum neuter determinet, nullum tamen iſto aptiorem, nullum certe poſteriorem inuenio. Vacuo iam primum loco, quem hucusque Druſus, alterius Antoniae vir, ac Tiberius eius frater, inſederunt, ſimul rebus ab eo in Germania geſtis et aetate congruentibus.

damus BVCHERIO, mediate ſucceſſit M. Vinicius, Vinicio, Sentius Saturninus, Saturnino, Quintilius Varo.

§. V.

CONTRA BVCHERII OPINIONEM DISPVTATIO.

Inter annum itaque quadrageſimum octauum et quinquageſimum quartum poſt pacem a Tiberio, vt dicit, A.V.C. IↃCCXLVIII. cum Germanis factam, bellum, duce Domitio, geſtum, collocat BVCHERIVS. Sed liceat hic nobis pauca de pace, quam BVCHERIVS commemorat monere. Conſtat quidem DIONE [n], SVETONIO [o] et VELLEIO [p] auctoribus, Tiberium A. V. IↃCCXLVII. de Germanis triumphaſſe. Multa tamen obſtant, quo minus nec cum BVCHERIO, nec cum magnis viris, qui eum ſequuti ſunt, afferam, Tiberium pacem eo anno cum Germanis iniiſſe. Quamquam enim vir doctus [q] multa attulit, quibus, pacem eo anno cum Germanis ſancitam eſſe, demonſtraret, DIO tamen eodem loco, quo exponit, Tiberium de Germania triumphaſſe, addit: *καὶ οὐ πολλῷ ὕστερον, κινηθέντων τινῶν ἐν τῇ Γερμανίᾳ, ἐξωρμήθη*, *Paullo poſt coortis in Germania motibus ad bellum profectus eſt*, et, quod praecipuum eſt, ſupra profert [r]: *Φοβηθέντες οὖν αὐτοῦ οἱ βάρβαροι, πλὴν τῶν Καντάβρων* [s], *ἐπεκηρυκεύσαντο.*

 καὶ

n) L. LV. p. m. 553.
o) Vit. Tib. c. 9.
p) Hiſt. Rom. L. II. c. 97.
q) Belg. Rom. c. I. c. 18. p. 45.
r) L. XIV. p. m. 551.
s) *Σιγαμβρῶν* legas, neceſſe eſt.

καὶ ὄν τε τότε ἔτυχον τινὸς (ὁ γὰρ Αὔγουςος οὐκ ἔφη σφίσιν ἄνευ ἐκείνων πείσεσθαι) οὐθ' ὕςερον. ἔπεμψαν μὲν γὰρ καὶ οἱ Κανταβροὶ πρέσβεις τοσαύτου δὲ ἐδεήθησαν διαπράξασθαί τι, ὥς τε καὶ ἐκείνους πάντας καὶ πολλοὺς καὶ ἐλλογίμους ὄντας, προσαπολέσθαι. ὅ τε γὰρ Αὔγουςος συλλαβὼν αὐτοὺς ες πόλεις τινὰς κατέθετο, καὶ ἐκεῖνοι δυσχαναχετήσαντες, ἑαυτοὺς κατεχρήσαντο. κἀκ τούτου χρόνον μέν τινα ἡσύχασαν, κ. τ. λ. *Quem metuentes barbari legatos ad ipsum miserunt, praeter Cantabros. Sed neque tunc pacem impetrarunt, negante Augusto, se, nisi illi* (Cantabri) *comparuissent, eam ipsis daturum, neque postea. Miserant quidem et Cantabri legatos, tam importunae vero eorum fuerunt preces, vt illi omnes, multi quidem et praeclari inter suos viri, perirent. Cum enim Augustus comprehensos eos in vrbes quasdam disposuisset, haud tulerunt rei molestiam, sed se ipsi interfecerunt. Ex eo quidem tempore aliquamdiu quieti fuerunt etc.* Nec adulatoria VELLEII[t] verba vrgenda sunt, *Tiberium in hoc bello Germaniam ita perdomuisse, vt in formam paene stipendiariae redigeret prouinciae.* Ipse enim VELLEIVS isto verbo *paene* se palpare hic Tiberio, indicare videtur. Quod si in hac convellenda opinione nobis cum BVCHERIO et

est. Nullos enim in Germania reperies Καντάβρους. Illi in Hispania, et igitur procul a Rheno habitabant. Pro certo itaque habuerunt viri docti, errorem codici DIONIS obrepsisse: quod LEVNCLAVIVM commouit, vt *Cattuarios* legeret. Nec quidem male. Magis tamen se nobis commendat BVCHERII emendatio, qui Sigambros ponendos esse, censet. Sic enim ex Eclogis VRSINI Dionianis, ipsoque adeo DIONE, cui de Transrhenanis populis hoc loco sermo est, ex SVETONIO, EVTROPIO et aliis legendum est.

t) Hist. Rom. L. II. c. 97. §. 4.

et NORISIO tantum res esset, facili negotio omnem huius coniecturae vim frangere possemus. Cum enim magni hi viri eo tempore clausum fuisse Iani templum* demonstrauerint, quanam quaeso ratione, bellum nec id leue, sed omnino grauissimum, nec duarum vel trium mensium, sed duorum annorum, ad illud tempus referre potuerunt, quo Romanos pace per omne imperium fruitos esse, ipsi sibi persuasum habent? Sed quo abiit, inde redeat nostra oratio. Eorum enim quoque minuamus rationes, necesse est, qui quamquam BVCHERIO haud in eo assentiunt, Iani tunc fores obseratas fuisse, bellum tamen, duce Domitio, gestum in idem cum eo ponunt tempus. Quos vt erroris redarguamus, non quidem ostendere constituimus, Domitium hoc tempore in Germania bellum gerere haud potuisse, sed tantum palam faciemus, eorum coniecturam, ne dicam, nullis, infirmis tamen profecto niti fundamentis. Quaeramus itaque, quid sit potissimum, quod eos moueat, vt hoc tempus Domitianae expeditioni aptissimum putent. Nihil sane aliud, quam, quod ab A. IↃCCXLVIII. vsque ad A. IↃCCXLIV. nulla a quoquam Romanorum scriptore in Germania producuntur bella. Fateor, haud contrariam esse istam coniecturam doctrinae temporum

 Sed

*) Instituti nostri rationem haud exigere puramus, quaerere, vtrum vere, an minus recte viri docti conjecerint, templum Belli tunc clausum fuisse. Non nostrum, tantas componere lites, quae hac de re inter doctissimos adhuc dum reciprocantur. Atque huic supersedere labori, nobis per aequos rerum existimatores licebit, modo de iis, quae ad rem nostram pertinent, satis accurate quaeramus.

Sed nescio, an multum roboris habeat hoc ratiocinandi genus, nisi aliis iisque firmioribus argumentis suffultum sit. Quodsi enim in definiendo anno, quo Domitius res suas in Germania gessit, hoc sufficeret, vt vacuus ille sit et ab aliis bellis in Germania gestis, et a muneribus Domitii, mnltos inuenires annos huic bello aptissimos. Obiicient mihi fortassis eius sententiae patroni VELLEII locum, qui coniecturae isti maxime videtur fauere [x]: *Sensit terrarum orbis digressum a custodia Neronem vrbis. Nam et Parthus desciscens a societate Romana, adiecit Armeniae manum, et Germania, auersis domitoris sui oculis, rebellauit.* Sed quamquam non tam iniquus cum NORISIO [y] in VELLEIVM sum, vt putem VELLEIVM adulari in eo, quod indicat, illas gentes bellum restaurasse circa idem tempus, quo Tiberius Rhodum se contulit, (quaenam enim quaeso in hoc est adulationis materia?) nullas tamen ex hoc VELLEII loco dari posse rationes, arbitror, quibus probari queat, Domitium statim post Tiberii secessum eas, de quibus nos in hac dissertatione quaerimus, res gessisse. Etenim locum istum sic interpretor, vt a VELLEIO his verbis bellum, duce M. Vinicio, gestum, indicetur. Mos VELLEII optime hanc explicationem patitur. Vt enim septem hos annos, quibus Tiberius Rhodi vixit, paucis commemorat; sic bella, Tiberio absente, gesta hic exponit. Primum, inquit, Parthus nouum excitauit bellum; post in Germania quoque recens exortum est. Prius

x) L. II. c. 100.

y) Cenotaph. Pisan. p. 200.

Prius istud Parthicum A. IↃCCLIII. finitum est *, alterum contra Germanos post id compositum incepit. Nec tamen hac explicatione, quamquam multum ei fido, eorum, quibuscum mihi hic res est, convellendi opinionem animus est. Probent, quod vel maxime ex his VELLEII verbis probare possunt, post secessum Tiberii turbas in Germania esse exortas: coniiciant ex hoc, Domitium tunc temporis in Germania fuisse. Haec omnia iis largiar. Nec enim id nego, ostendam potius in sequentibus, probabile esse, Domitium, absente Tiberio, Germaniae praefuisse. Id tamen ostendere non possunt, haec omnia tantam vim habere, vt euincere possint, Domitium hoc tempore exercitu flumen Albim transcendisse, vlterius penetrata Germania, quam quisquam priorum.

§. VI.

BVNAVII, MASCOVII ET STRVVII SENTENTIAE

Inter eos vero, qui L. Domitium Ahenobarbum post M. Vinicium in Germania fuisse, arbitrantur, eminent splendida ista patriae nostrae decora, viri et in antiqua Germaniae historia, et in omni litterarum genere fortissimi ILLVSTRISSIMVS R. I. COMES DE BVNAV,

z) Haud e re fore puto ad probanda ea, quae de Parthico bello in medium protuli, afferre nummum, quem GOLTZIVS in Augusto C. I. n. 191. exhibet. Ita se is habet, AVGVSTVS PONT. MAX. TR. POT. XXI. COS. XIII. in Postica DE PARTHIS cum thiara Parthica, et sagittis, quae sunt Parthica insignia.

BVNAV, ILLVSTRISQVE MASCOVIVS. Operae pretium facturus mihi videor, si ipsa ILLVSTRISSIMI COMITIS huc transferam verba; eo quidem consilio, vt intelligant lectores, haud animum ei fuisse, rem omnem explicandi, eamque ex instituto euoluendi, sed istius tantum, vt incertae et obscurae, mentionem fecisse. Eadem pace, quam Tiberius, vt iam diximus, A. V. C. IↃCCXLVII. cum Germanis iniisse dicitur, exposita [a], haud diu ea fruitos esse Germanos, optime monet COMES ILLVSTRISSIMVS, sed crebris seditionibus hos eam irritam fecisse, quas tamen, quod nullum nec graue, nec longum inde exortum sit bellum, spreuissent Romani. Tandem M. Vinicium per tres annos contra Germanos bellum gessisse; post L. Domitium Ahenobarbum quoque exercitu flumen Albim transcendisse, longiusque penetrasse Germaniam, quam Romani antea peruenire potuissent. Quid vero in his acciderit bellis, nobis ignotum esse, quam-

a) Hist. Imp. Germ. P. I. L. I. p. 165. Ob nun gleich Teutschland durch diesen mit den Römern geschlossenen Frieden etwas in Ruhe gesetzt worden; so hatte doch diese Ruhe nicht lange Bestand, indem sich zwar von Zeiten zu Zeiten einige Völcker empoerten, weil es aber zu keinem Hauptkriege kam, ward es zu Rom wenig geachtet. M. Vinicius hat drey Jahr lang gegen die Teutschen zu Felde gelegen; sodann ist auch L. Domitius Ahenobarbus mit einem Heer über die Elbe gegangen, und noch tieffer in Teutschland gedrungen, als die Roemer jemahls haben kommen können. Was aber bey diesen Kriegen eigentlich fürgefallen, ist uns unbekannt, obgleich die Scribenten nicht in Abrede seyn können, dass sie den Römern nicht wenig Mühe gemacht, und dass sie allenthalben tapfern Wiederstand gefunden.

quamquam ipſi ſcriptores negare non poſſent, Romanos haud parum iis eſſe vexatos. Quem vero ego honoris cauſſa nomino, ILLVSTRIS noſter MASCOVIVS doctiſſime de hac re in hiſtoria ſua Germanorum diſſeruit, egregieque et quo tempore, et quibus in regionibus hoc geſtum ſit bellum, explicauit [b]. Ex eo enim, quod Tiberius, cui deinceps demandatum hoc eſt bellum, inprimis contra Canninefates, Attuarios et Bructeros pugnauerit, colligit VIR ILLVSTRIS, hos populos eius autores fuiſſe: initio M. Vinicium, poſt Domitium Ahenobarbum duxiſſe exercitum. Nullum enim inuenit tempus, ad quod ea, quae de rebus ab hoc feliciter in Germania geſtis traduntur, aptius referre poſſit. Cui ILLVSTRIS VIRI ſententiae cum in omnibus aſſentiat CELEBERRIMVS STRVVIVS [c], haud

b) L. III. §. 21. p. 72. Um das Jahr 754. war Teutſchland wiederum in Unruhe, weil Tiberius, dem nachmals dieſer Krieg zu führen aufgetragen ward, hauptſächlich wieder die Canninefaten, Attuarier und Bruckterer geſtritten, ſo ſcheinen dieſe nebſt ihren Nachbaren die Urheber davon geweſen zu ſeyn. Anfangs commandirte M. Vinicius gegen ſie. Es ſcheinet auch, daſs Domitius Ahenobarbus des Keyſers Neronis Groſs-Vater in dieſem Kriege gebraucht worden. Zum wenigſten findet ſich keine bequemre Zeit, dahin man dasjenige, was von ſeinen glücklichen Verrichtungen wieder die Teutſchen angemerckt iſt, hinbringen könnte, als eben dieſe, zumal da die Gegenden, in welchen dieſer Krieg geführt worden, eintreffen.

c) Hiſt. Imp. Germ. Per. II. §. 13. p. 59. A. C. V. 754. Als die Canninefater, Attuarier und Bruckterer die Waffen ergriffen, wurde zwar erſtlich M. Vinicius und Domitius Ahenobarbus wieder ſie geſchickt, allein bald darauf folgte Tiberius, welcher über die Weſer mitten unter ſie gieng.

haud opus esse, puto, eius huc transscribere sententiam. Habes itaque trium magnorum virorum sententias easque doctissimas et acutissimas.

§. VII.
CONTRA HAS OPINIONES QVAEDAM DVBIA PROFERVNTVR.

Iam vero cum illae tam variae opiniones nec invicem nec cum ista, quam nos amplexi sumus, sententia conueniant, necesse est, vt studiosius de iis quaeramus. Quod vt distincte et ordine fiat, meliusque, an aptum hoc sit tempus rebus a Domitio gestis? appareat, bellum a Vinicio gestum lustrabimus, in tempus eius et annos intermedios inquirentes. Eadem antiquorum testimoniorum inopia haec de rebus gestis M. Vinicii laborat quaestio, qua ista de Domitio. Ego enim cunctos eius aeui scriptores diligentissime peruoluens [d], nonnisi hunc deprehendi VELLEII locum: *Non diu vindicem custodemque imperii sui*, (Tiberium) *morata in vrbe patria. Protinus in Germaniam misit, vbi ante triennium sub M. Vinicio, auo tuo, clarissimo Viro, immensum exarserat bellum. Erat et ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter, eoque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum ornamenta triumphalia.* Erat vero M. ille Vinicius [e], oppidano genere Calibus orto, patre

d) Hist. Rom. L. II. c. 104.

e) Sunt inter eruditos, qui autoritate lapidis Colotiani commoti, familiam hanc Vinuciam vocant.

patre P. Vinicio, consulari, familia equestri natus, et Vinicii istius, cui VELLEIVS suos inscripsit libros, avus [f]. Bis ille contra Germanos bellauit, et primum quidem A. IↃCCXXVIII. Hic non possumus facere, quin, quoniam non alienum ab hoc loco videtur esse, DIONIS [g] verba afferamus, ne quis, aliquid temere a nobis esse dictum, putet: *ὑπὸ δὲ τὸν αὐτόν τοῦτον χρόνον Μάρκος Οὐϊνίκιος Κελτῶν τινὰς μετελθὼν, ὅτι Ρομαίους ἄνδρας ἐς τὴν χώραν σφῶν κατὰ τὴν ἐπιμιξίαν ἐσελθόντας συλλαβόντες ἔφθειρεν, τὸ ὄνομα καὶ αὐτὸς τὸ τοῦ αὐτοκράτορος τῷ Αὐγούστῳ ἔδωκε. καὶ ἐψηφίσθημέν που καὶ τὰ ἐπινίκια αὐτῷ καὶ ἐπὶ τούτοις, καὶ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς τότε γενομένοις.* Quae in haec latina transtulit XYLANDER. *Fere*

cant. Sed quam valde hi ipsi a veritate aberrent, omnes libri manu exarati, omnes, praeter istum Colotianum, lapides, omnes denique ostendunt nummi. Optima enim quaeque VELLEII Manuscripta habent *Vinicius*. Inueniunt quoque, quibus horum haud sufficit autoritas, lapidem apud GRVTERVM sic inscriptum:

M. VINICIO P. F. POST
MORTEM
MVNICIPIS SVI AERE
CONLATO
PIETATIS CAVSSA PO-
SVERVNT

Praeterea quatuor in thesauro Morelliano occurrunt numismata quae omnia Viniciam hanc vocant familiam. Quid itaque lapis ille Colotianus contra tot, et antiquissimi quidem temporis, monumenta efficiet?

f) Animaduertenda haec videbantur mihi, in commentatione a CEL. IVSTI nuper edita (quae inscribitur: Abhandlung von den Römischen Feldzügen in Teutschland) haecce legenti: zwischen den Feldzügen des Tiberius und vor Varus Niederlage ist auch Vinicius drey Jahr den teutschen Angelegenheiten vorgesetzt gewesen. Vellej. Lib. 2. cap. 105. von dem man aber nicht findet, daſs er viel wieder die Teutschen ausgerichtet hat, ausser einige Schmeicheleyen, die Vellejus Paterculus *an diesen seinen Freund* machet.

g) L. LIII. p. 514. edit. Sylburg.

hoc ipso tempore M. Vinicius Celtas quosdam vltus, qui homines Romanos, ipsorum regionem commercii gratia ingressos, obtruncauerant, ipse quoque nomen imperatoris Augusto parauit, triumphique ei propter hanc aliasque res tum gestas decreti sunt. Nec offendat quendam, quod dicit κελτῶν τινάς. Nostrum enim sub nomine Celtarum Germanos complecti, ipse docet his verbis [b]: Κελτῶν γάρ τινὲς, ὃς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες, Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν. *Celtae enim quidam, quos Germanos vocamus, cum omnem regionem Celticam, quae ad Rhenum est, tenerent, effecerunt, vt ea Germania vocaretur,* et alio loco [i], ἐπεὶ τό γε πάνυ ἀρχαῖον Κελτοὶ, ἑκάτεροι οἱ ἐπ' ἀμφότερα τοῦ ποταμοῦ οἰκοῦντες, ὠνομάζοντο, *siquidem antiquitus populi, qui ex vtraque parte Rheni habitabant, Celtae vno nomine appellati sunt.* Illa vero, de qua nunc disputamus, M. Vinicii in Germaniam expeditio in A. V. C. IↃCCLIV. incidit. Perspicue hoc ex VELLEIO intelligi posse, arbitror. Exponit enim, Vinicium triennio, antequam recens in Germania exortum bellum Tiberio mandatum sit, in hac prouincia fuisse: iam vero hoc Aelio Cato, Sentio Saturnino Coss. quorum consulatus est A. IↃCCLIII. factum est, habebimus itaque annum, quem dixi, IↃCCLIV. Haec temporis ratio, quae nobis haud parum arridet, impedit, quo minus PIGHIO fidem demus, qui An. IↃCCLII. bellum hoc in Germania esse exortum, arbitratur. Cuius opinionis nullum videmus fundamentum, cum adoptio-

b) L. LIII. p. 503. i) L. XXXIX. p. 114.

optionem Tiberii ad eosdem nobiscum Consules referat. Quodsi vero hoc ei quoque largiri vellemus, nescio tamen, vnde collegerit, Vincium eo anno Legatum Augusti, Proconsulem in Gallia Transalpina fuisse. Ex VELLEIO inquit. Ego vero nullum eius deprehendi locum, qui istam PIGHII probaret opinionem. Nihil enim de hoc bello PATERCVLVS refert, praeterquam, *eo anno in Germania immensum sub M. Vinicio exarsisse bellum.* Coniici potius ex verbis, *sub M. Vinicio*, posse, reor, eum Legatum Augusti in Germania fuisse. Nec video, quid PIGHIVM, ILLVSTRISSIMVMQVE COMITEM DE BVNAV, qui eum in hoc sequutus esse videtur, mouerit, vt dixerint, per tres annos Vinicium in Germania bellum gessisse. VELLEIVS enim de tempore eius silet, *ante triennium* tantum *exarsisse*, scribit. In quanam autem Germaniae parte gestum istud sit bellum, ex his VELLEII verbis certo colligi non potest. Reliqui vero, locupletissimi quoque, historiae Romanae scriptores ne verbo quidem istam expeditionem attingunt. Quod eo magis mirandum foret, si VELLEIO in eo fidem dare vellemus, quod scribit, *immensum exarsisse bellum.* Sed hoc ipsum parato saepissime ad falsa laudatori, qui Tiberio tam mirifice blanditus est, ad nepotem M. Vinicii scribenti, quamquam tum vixit, rebusque ipse interfuit, vix tamen credimus. Nec decreta ei ornamenta triumphalia verbis Velleianis multum roboris afferunt, quae, cum tempore Augusti mi-

nus rara fuerint, nihil impedit, quo minus, arbitremur, Augustum ea Vinicio, viro clarissimo, consulari et de republica bene merenti decrevisse, quamquam haud immensum gesserit bellum. Quodsi vero in communi hoc veterum silentio coniicere licet, in quanam potius Germaniae regione Vinicius pugnauerit, quosque populos vicerit, haud multum a veritate nobis aberrare videtur, qui putet, contra populos ad Rhenum habitantes inprimis exercitum ab eo fuisse eductum. Sed ne coniecturam sine vlla autoritate proferre videamur, en ILLVSTRIS MASCOVII verba, ex quibus magna defensionis praesidia petere possumus, *Ex eo, quod Tiberius, cui post hoc demandatum est bellum, inprimis contra Canninefates, Attuarios et Bructeros arma tulerit; ex eo, inquam, hi eius fuisse au-tores videntur.* Sufficiant haec de M. Vinicii in Germania expeditione, quibus hoc, quod volumus satis proprobatum putamus, Vinicium scilicet Germaniae A. IↃCCLIV. praefuisse. Restat nunc, vt contra eorum disputemus opinionem, qui L. Domitium Ahenobarbum post M. Vinicium in Germania fuisse, easque, quas TACITVS de eo refert, res gessisse, asseuerant. Si dubiis incertisque rationibus rem defendere nostram institueremus, argumento possemus vti a silentio antiquorum scriptorum depromto. Sed hac via non procedimus. Defendimus potius, sententiam eorum probabilem non esse, per rationem a conditione eius temporis ductam. Quodsi vel maxime iis concederemus, bellum sub M. Vinicio exortum vno anno finitum esse, quod

tamen,

tamen, ne luxuriari opinionibus videamur, taciti praeterimus, duo tamen anni haud ſuffeciſſent ad tantum tramitem aggerandum, totque gentes inter Rhenum et Albim debellandas. Quoties enim Romani vsque ad Albim peruenerunt, duos plerumque annos in bello conſumſerunt. Praetera non poteſt iſta ſententia cum ſequentis temporis hiſtoria comparari componique. Quare enim quaeſo Tiberius contra nationes inter Rhenum et Albim habitantes pugnaſſet, ſi iam ante annum a Domitio victae fuiſſent?

§. VIII.

PIGHII CONIECTVRA.

Perſpectis illorum, qui ad octo iſtos annos poſt pacem, vt dicunt, cum Germanis factam, Domitii referunt res geſtas, argumentis, ad eos ſe noſtra vertit oratio, qui tam varias ſententias amplexi ſunt, vt coniungi haud poſſint; e quibus primum conuellenda nobis venit PIGHII [k] ſententia, qui in A. IↃCCXLI. quo M. Valerius Meſſala et P. Sulpicius Quirinus Conſules fuere, hanc collocat expeditionem. Ego vero neſcio, quid habuerit vir in doctrina temporum verſetiſſimus, vt hoc anno Domitium in Germania fuiſſe, putet, quo, ſi

k) Scribit ad hunc annum, L. DOMITIVS CN. F. L. N. AHENOBARBVS *Neronis Caeſaris auus, legatus Auguſti in Germania. Cum exercitu flumen Albim transiens, longius penetrauit Germaniam, quam quisquam priorum, easque ob res inſignia triumphi adeptus eſt.* Laudat ad haec SVETONIVM et TACITVM.

si DIONEM [1] sequimur, Drusus in Germania bellum contra Sicambros, Frisios Chaucosque gessit. Neque hoc ignorat, neque negat PIGHIVS. Quid? Ipse sub titulo sequentis anni exponit, *Drusum Praetorem, domitis anni superioris exitu Sicambris eorumque Sociis, ac Frisiis ad amicitiam Populi Romani traductis Romam decessisse*, et DIONIS quem allegauimus, locum adducit. Anno vero, qui hunc, in quem collocat Domitii expeditionem, antecedit, Tiberio Claudio Nerone et Quintilio Varo Coss. Augustum in Germania Drusum reliquisse, ipse fatetur. Putet itaque Vir Clarissimus, necesse est, duos Romanorum exercitus vno eodemque anno in Germania fuisse, quorum alter, duce Druso, Sicambros eorumque socios vicerit, alter, Domitio praeeunte, vsque ad Albim pervenerit, flumenque transcenderit. Quod vtrum in coniectura probabile, an procul a veritate absit, cuique patebit, qui haec excutere, atque diligenter considerare velit. Nos, exposita tantum eius opinione, instituto nostro satisfecisse putamus. Quodsi PIGHIVS ista, quae eum ad haec coniicienda commouerunt, adiecisset, maiorem ei redarguendo daremus operam.

§. IX.

AVTORIS PANEGYRICI AD PRINCIPEM DE FVRSTENBERG CONIECTVRA.

Nec diligentiores accuratioresque se in confirmandis suis sententiis probarunt Autor Panegyrici ad Illu-

1) L. LIV. p. m. 543.

Illuſtriſſimum Principem de Fürſtenberg monumentorum Paderbornenſium ſcriptorem, et FREINSHEMIVS in fragmentis Liuianis. Ille [m] enim cum videret, ex hiſtoria haud certe conſtare, quemnam Druſus poſt conditam Aliſonem habuerit Legatum, L. Domitio Ahenobarbo Neronis Imperatoris auo id muneris eſſe demandatum, coniicit. Quod ad id pertinet, Domitium eo tempore tramitem aggeraſſe, de eo non hic, ſed deinceps diſputabimus. *Eundem vero Domitium hinc arma vltra Viſurgim atque Albim tuliſſe*, vir doctiſſimus haud probauit. Neque nos quicquam contra eum dicimus, quam hoc, quod iam ſupra monuimus, eam coniiciendi rationem nihil valere. Quodſi enim id ad probandam coniecturam ſufficit, alium eſſe ignotum, qui eo anno Germanico bello praefuiſſet, tot inuenies temporum ſpatia huic expeditioni aptiſſima, vt, quo te vertas, plane ignores. Maxime vero a veritate abhorret coniectura FREINSHEMII [n], quam ſi ſequeremur, Druſo mortuo ſucceſſiſſe Domitium credamus, neceſſe eſſet. Cuinam vero quaeſo, qui ex VELLEIO [o], DIONE [p] et

SVE-

m) L. II. c. 9.

n) in Fragm. Liv. L. CXL. c. 18. *Ita Caeſar, poteſtate reſumta, Tiberium ad bellum Germanicum miſit: vbi interim L. Domitius, cum irato propter interitum Druſi exercitu dolorem hunc cladibus hoſtium vlturus, Albim primus Romanorum armata manu tranſcenderat. Ab eodem aggeratus ſecundum Amiſiam trames eſt vaſtas inter paludes, pontes longi appellati. Ob haec et talia triumphales quidem honores Domitio decreti: ceterum Auguſto poſthac irritari nationes Transalbinas minime placuit.*

o) VELLEI. L. II. c. 97.

p) DIO L. LV. init.

SVETONIO [q] intellexit, Drusum A. IↃCCXLV. supremum diem obiisse [r], anno vero sequenti Tiberio bellum Germanicum esse mandatum; cuinam, qui hoc legit, inquam, FREINSHEMII arridebit coniectura?

§. X.

LENTZII CONIECTVRA.

Habes maximorum virorum de tempore belli, duce L. Domitio Ahenobarbo gesti, sententias. Nec plures, qui ei definiendo operam dederunt, noui. Quam vero nuper edidit V. Cl. LENTZIVS [s] coniecturam, haud facile viris pristinae historiae peritis ea se commendabit. Equidem valde vereor, ne sponsione vincatur vir doctus, qua lectores suos prouocat. *Sponsio est*, inquit, *expeditionem Domitii nullam aliam fuisse, quam, vt missus a Druso loca trans Albim exploraret. Vnde tanto timore et pauore perculsus rediit; vt Drusus spectrum reditus praetextum sumeret.* Accusat V. D. omnes Romanorum scriptores antiquos, quod de tanti momenti re siluerint, causamque istius silentii coniicit. *Fortasse,*

q) SVETON. Tib. c. VII.

r) V. Idus Iulias Drusum mortuum esse, discimus ex prisco lapide, in cuius inscriptione iubet Claudius Drusi filius, vt illi, qui e collegio Fabrorum erant, ad Drusi monumentum epulentur duntaxat in V. Idus Iulias.

s) In commentatiuncula hoc anno edita, quae inscribitur: Von der Roemer Einbruch in Teutschland, und dem Lager und Auffenthalt des Roemischen Feldherrn Drusus in der alten Markt an der Elbe.

tasse, inquit, TACITVS *omnia memoria tenere non potuit, quae ei aut maioribus suis milites Romam redeuntes de populis trans Albim habitantibus narrauerant. Aut* VELLEIVS *nullum tantae magnitudis inuenire potuit volumen, quod tantas res gestas capere potuisset, quantas Romani et ipse cum illis gesserant.* Ego vero nullo modo persuadere mihi possum, Cl. LENTZIVM pauca ea, quae TACITVS memoria tenere potuit, nobisque tradidit, perlustrasse. Quod si enim legisset, Domitio ob res in Germania gestas decreta esse insignia triumphalia, vix credo, eum coniicere potuisse, illum, de quo TACITVS non dicit, manu equitum; sed exercitu Albim transcendisse, missum tantum a Druso esse, vt loca exploraret. Quod vero ego quam maxime miror, hoc sane est, Cl. LENTZIVM de iis, quae DIO et VELLEIVS, quorum aeque ac reliquorum historicorum Romanorum exigua apud eum est fides, de rebus eorum, qui vsque ad Albim peruenerunt, gestis tradiderunt, de his, inquam, dubitare quidem, sed nullam aliam afferre rationem, quam hanc: *vsque ad Albim nemo progredi volebat, ibi enim spectra apparebant.*

§. XI.

AD BELLVM ALIO DVCE GESTVM DOMITIANAM EXPEDITIONEM ESSE REFERENDAM OSTENDITVR.

Enarratis et perlustratis doctissimorum virorum opinionibus, ea quae nobis de hac Domitii expeditione

in mentem venere, in medium ponamus, et de tempore eius aliquid coniicere ſtudebimus. Quod ſtudium haud inane et fruſtraneum fore, confidimus, ſi iis, quae veteres hiſtorici de bellis ſub Auguſto in Germania geſtis tradiderunt, diligenter excuſſis, quo tempore, quibus in regionibus quoque cum ſucceſſu geſta illa ſunt, expendemus, hisque intellectis, ad regulas de vero et falſo iudicandi, quod veritati ſit proximum, eligemus. Quod vt ordine procedat, reliquis argumentis praemittemus vnum, ad quod vt lectores diligenter attendere velint, eo magis rogamus, quo magis omnis fere coniecturae noſtrae vis in eo ſita eſt, ne poſt in legendis iis, quae coniecimus, nos aliquid temere dixiſſe, opinentur. Domitium eo anno exercitu flumen Albim transcendiſſe, quo nullus alius, praeter iſtum quem duxit, exercitus in Germania fuerit, hoc ſane maxime mihi a veritate abhorrere videtur. Quis enim quaeſo tam iniquum ſe rerum exiſtimatorem praebebit, vt omnes hiſtoriae Romanae ſcriptores, locupletiſſimos quoque, tantae arguat negligentiae, vt, qui nullum magni momenti bellum taciti praeterierunt, de tanto, in quo Romani eo peruenere, quo numquam nec antea, nec poſt, prorſus ſiluerint. Equidem fateor, haud multum in probando facere argumentum a ſilentio ſcriptorum petitum, niſi cum aliis et grauioribus coniunctum, aliquam inde accipiat vim. Aſt hic multum id valere, contendo. Ita enim huius aeui eſt comparata hiſtoria, vt ſcriptores potius indicem, quam commenta-

mentarios bellorum tunc temporis gestorum dedisse videantur. Nec dubito, quin haec probentur omnibus, qui DIONEM, SVETONIVM et VELLEIVM accurate peruoluerunt; qui vero dubitet, ostendat vnum tantum bellum memoratu dignum, quod illi haud, ne dicam, exposuerunt, sed haud nominarunt. Alterum, quod nunc praemittendum videtur, ad tramitem Domitii nostri spectat, quod hic quam breuissime agamus, pluribus infra, opportuniori data occasione, de eo loquuturi. Nec enim veremur, fore, qui in eo concedendo tam difficiles tamque pertinaces se nobis praebeant, vt negent, necesse esse, eo tempore tramitem istum a Domitio esse aggeratum, quo nullus in ista regione fuerit Romanorum hostis. Tanta enim opera inter bellicas turbas confici haud possunt. Tumultuarium vero aut subitaneum fuisse opus, nemo credet, qui perpendat, tempore Germanici adhuc extitisse. Accedit et hoc, quod ex Antiquitatibus Romanis manifestum est, multisque exemplis probari potest, eiusmodi opera a militibus ipsis plerumque esse condita.

§. XII.

NEC TAMEN IN BELLVM DVCE DRVSO GESTVM COMMODE PONI POTEST.

Duos reperimus in huius aeui historia Romanorum duces, qui vsque ad Albim venerunt. Primus fuit Drusus, alter Tiberius circa annum IↃCCLVIII. De eorum itaque expeditionibus videamus, vt appa-

reat, quaenam ſit aptiſſima iſti Domitianae. Quid vero impedit, quo minus arbitremur, Domitium eo tempore exercitu flumen Albim transcendiſſe, quo Druſus caſtra ad id poſuerat? Multa quidem. Hoc enim certum et ex vnanimi conſenſu hiſtoricorum eius temporis probatum eſt, Druſum ipſum exercitu Albim non transcendiſſe, ἐπεχείρησε μὲν, inquit DIO [t], περαιωθῆναι, οὐκ ἠδυνήθη δὲ, ἀλλὰ τρόπαια στήσας, ἀνεχώρησε, *Conatus quidem tranſire* (Albim) *non autem potuit, ſed tropbaea conſtituens receſſit.* Afferet forteſſe aliquis locum PTOLOMAI [u], quem ILLVSTRISSIMVS COMES DE BVNAV laudat, quoque expoſitum eſſe dicit, Druſum exercitu Albim tranſcendiſſe. Aſt mihi omnia, quae PTOLOMAEVS de Germania ſcribit, legenti ac iterum iterumque perlegenti hunc locum inuenire haud licuit [x]. Hoc itaque certum probatumque maneat, anti-

t) L. LV. p. 548.

u) L. II. c. 11.

x) Quod ego maxime miror, hoc eſt, Cl. IVSTI in iam laudata commentatione loci alicuius e PTOLOMAEO mentionem quidem feciſſe, librum tamen, ex quo eum hauſerit, haud nominaſſe. Attulit praeter eum vir doctus locum STRABONIS qui L. VII. p. 447. edit. Amſtel. in exponenda Druſi expeditione de populis trans Albim Romanis incognitis, narrat, καὶ πλείω δὲ γνώριμα ὑπῆρξεν, εἰ ἐπέτρεπε τοῖς στρατηγοῖς ὁ Σέβαστος διαβαίνειν τὸν Ἄλβιν μετιοῦσι τοὺς ἐκεῖσε ἐπανισταμένους, *Plures cognitae fuiſſent, ſi permiſiſſet militibus Auguſtus transmittere Albim, atque rebellantes perſequi.* Verum probet mihi quis ſi poſſit, ex his verbis, Druſum Albim tranſcendiſſe: Si quis forte verſionem latinam STRABONIS ſequi vellet, fortaſſe poſſet. Haec enim ita ſe habet, *ſi Auguſtus permiſiſſet militibus, vt, transmiſſo Albi, eo rebellantes perſequerentur,* quaſi eam iam transmiſiſſent milites.

antiquorum nullum dicere, Drusum Albim transcendisse, vel quendam trans Albim misisse. Si quis vero coniicere vellet, Domitium tunc cum exercitus parte flumen transiisse, ei hoc obstaret, quod Drusus tam exiguo temporis spatio ad Albim commoratus sit, vt, si quis ad hoc bellum Domitianam expeditionem referre vellet, sine dubio in Cl. LENTZII supra notatum laberetur errorem, qui Domitium tunc a Druso missum putat, vt loca trans Albim sita exploraret.

§. XIII.

SED IN BELLVM A TIBERIO A. V. C. DCCLVIII. SVSCEPTVM.

De bello itaque a Tiberio, qui victrici exercitu per totam Germaniam vsque ad Albim penetrauit, A. IↃCCLVIII. gesto, quaeramus. Verum hunc eius esse annum, ex iis, quae VELLEIVS de eo tradit, colligi potest. Rediit enim Tiberius Rhodo P. Vinicio et Alfinio Varo Coss. quorum consulatus annus est quinquagesimus quintus. Adoptatus vero est A. IↃCCLVI. et proximo post in Germaniam missus, per duos annos bellum in ea gessit. Primo [y], *intrata protinus Germania, subacti Caninefates* [z], *Attuarii, Bruteri* [a], *recepti Cherusci, transitus Visurgis* [b]: *penetrata vlteriora. Anni eius aestiua vsque in mensem*

y) VELLEI. H. R. L. II. c. 104. 105. 106.

z) In extrema ad Oceanum Batauia.

a) Vtrique Rheni diuortio, illi in septentrionem, hi in ortum confines.

b) Vltra quem siti Cherusci, hodie Luneburgenses ac Brunsuicenses.

mensem Decembrem perducta, hiberna ad caput Lupiae fluminis tandem locata sunt. Sequenti vero anno. *Receptae Chaucorum nationes, fracti Longobardi. Denique ad quadringentesimum milliarium, a Rheno vsque ad flumen Albim Romanus perductus exercitus est, et eodem classis, quae Oceani circumnauigerat sinus, flumine Albi subuecta, exercitui se iunxit.* En quae VELLEIVS, qui ipse his bellis tribunus militum interfuit, de rebus Tiberii in Germania gestis refert.

§. XIV.

CONTRA CL. IVSTI MODESTA DISPVTATIO.

Antequam vlterius progrediamur, examinanda nobis venit eorum opinio, qui de ista Tiberii expeditione prorsus dubitant, et omnia, quae in libris Velleianis relata de ea legimus, ficta ab eo, vt Tiberio blandiretur, putant. Pondus et vim eorum argumentorum haud quidem metuimus, sed veremur tantum, ne, si cuidam primo adspectu illorum se commendet coniectura, ei omnes nostri labores et conatus irriti videantur et frustranei. Exurrexit nuper ex istis Cl. IVSTI, cuius argumenta, (quamquam lectoribus suis quam saepissime confirmet, certum et optime probatum haberi, has Tiberii res gestas a VELLEIO esse fictas,) quid valeant, videamus. In duas ista commentationis eius pars diuisa est sectiones, quarum prima aliquot argumentis rem eius probat, altera D. V. coniecturam ante oculos ponit. Ad singulas eius rationes respondeamus, hoc ante monentes,

nentes, V. D. ne dicam confundere, haud tamen fatis discernere bella a Tiberio ante cladem Varinam et post eam gesta [c]. Nam persuasum sibi habet, Tiberium post Vari demum cladem in Germaniam trans Rhenum missum, singularem adhibuisse circumspectionem et diligentiam, et quaedam haud infelicia cum Germanis commisisse proelia, ob quae triumphus ei decretus sit. Sed tantas res gessisse, Visurgim transiisse, Chaucos et Cheruscos, quid? Longobardos vicisse, omnes Germaniae nationes, exceptis Marcomannis, debellasse, a Rheno vsque ad Albim ad quadringentesimum milliarium progressum esse, classem ex Oceano Albim subuexisse: de his omnibus in reliquis iisque accuratissimis histori- cis

c) §. 20. p. 19. Man ist versichert, dass Tiberius, als er nach der Varianischen Niederlage über den Rhein nach Teutschland geschickt wurde, eine ungemeine Vorsicht gebrauchet, und einige nicht unglückliche Schlachten mit den Teutschen gehalten habe, weshalb ihm ein Triumph zuerkandt worden ist. Allein, dass er so gar grosse Thaten verrichtet haben soll, dass er über die Weser gegangen sey, dass er die Chauzen und Cherusser und so gar die Longobarden überwunden habe, dass er alle Völcker in Teutschland, ausgenommen die Marcomannen, bezwungen habe, dass er von dem Rhein bis an die Elbe auf 400. Römische Meilen weit gekommen sey, dass er mit einer Schiffsflotte aus dem Ocean in die Elbe herauf geschiffet sey, davon finden wir in andern unverwerflichen Geschichtsschreibern nicht die geringste Nachricht. Es beruhet dieses alles auf demjenigen, was der einzige Velleius Paterculus hiervon meldet, und dieses Zeugniss eines eintzigen Scribenten muss einem vernünftigen Geschichtskundiger allerdings verdächtig vorkommen, da alle andere damahlige Geschichtschreiber von diesem grossen Thaten kein Wort erwähnen.

cis nihil ſe legere profitetur. Quonam vero quaeſo in loco VELLEIVS dicit, poſt Vari cladem has res geſſiſſe Tiberium? Nonne annum definiit, quo ad pacandam Germaniam abiit Tiberius? Quorſum itaque haec? Ad rem noſtram redimus. In cunctis reliquis hiſtoriae ſcriptoribus nihil de his omnibus, quae VELLEIVS refert, inuenit V. D. Sed quid eum impedit, quo minus DIONIS [d] locum legat, qui in actis A. IϽCCLVII. ἐπὶ τοὺς Κελτοὺς ἐστράτευσαν μὲν καὶ ἄλλοι τινές· ἐστράτευσε δὲ καὶ ὁ Τιβέριος. καὶ μέχρι γε τοῦ ποταμοῦ πρότερον μὲν τοῦ Ἐρύγρου* μετὰ δε τοῦτο καὶ τοῦ Ἀλουίου προεχώρησεν, οὐ μέντοι καὶ ἀξιομνημονευτόν τι τοτε γε ἐπράχθη. καὶ τοι καὶ αὐτοκράτορος μὴ ὅτι τοῦ Αὐγούστου, ἀλλὰ καὶ τοῦ Τιβερίου ἐπ᾽ αὐτοῖς κληθέντος. καὶ τινὰς ἐπινικίους Γάϊου Σεντίου τοῦ τῆς Γερμανίας ἄρχοντος λαβόντος, ἐπειδὴ μὴ μόνον ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δεύτερον φοβηθέντες αὐτοὺς, ἐσπείσαντο, *In Germanos expeditionem cum alii, tum Tiberius fecit, *progreſſusque eſt primum ad Erygrum; deinde ad Albim fluuios, nihil tamen magnopere memorandum actum eſt, quamquam de Germanis Imperatoris nomen non Auguſtus modo, ſed Tiberius etiam inuenerit, honoresque triumphales C. Sentius Saturninus Germaniae Praefectus, quod horum nutu bis Germani pacem accepiſſent.* Habet itaque V. Cl. DIONIS verba, quae ſi ei haud ſufficiunt, cogitet, ipſum Dionem antea memorare, eo tempore multa exorta eſſe bella, ſed, οὐ μέντοι καὶ περὶ πάντων αὐτῶν ἀκριβῶς ἐπεξήξω. πολλὰ δὲ γὰρ ὡς ἑκάστοις καὶ οὐκ ἀξιόλογα συνηνέχθη καὶ οὐδένα λεπτολόγηθε τὰ ὠφελήσειε: τά γέ μην μνή-

d) L. LV. p. 567.

* legendum eſt Οὐέσουργου

μνήμης τινὸς ἄξια κεφαλαιώσας πλὴν τῶν μεγίςων ἐρῶ. *Singula haec persequi non statui, quia multa singulis locis, nec ea memoratu digna acta sunt, quae curiose exposita nihil vtilitatis adferant. At quae memoriae digna sunt, paucis, nisi res sint maximae, perstringam.* Nec SVETONIVS [e], et ZONARAS [f], qui testantur, Augustum misisse Tiberium ad pacandum Germaniae statum, VELLEIO fidem auferunt: Nec PLINII spernendum testimonium est, qui de eadem nauigatione haec memorat. *Septentrionalis vero Oceanus maiore ex parte nauigatus est, auspiciis Divi Augusti Germaniam classe circumvecta ad Cimbrorum promontorium, et inde immenso mari perspecto aut fama cognito, ad Scythicam plagam.* Ad alterum itaque cui multum tribuere videtur huius commentationis autor, pergimus argumentum [g]. Istam Tiberii expeditio-

e) Vit. Tib. c. 16.

f) Annal. T. II. p. 164. edit. Basil.

g) §. 21. p. 20. Ich bin vielmehr aus andern Umständen gewiss versichert, dass Tiberius gar nicht weit in Teutschland gekommen ist. Diese angeblichen Feldzüge, worinnen Tiberius so grosse Thaten verrichtet haben soll, können keine andere seyn, als die Suetonius in der angeführten Stelle beschreibt, der aber von dem allen nichts meldet. Es lässt sich vielmehr aus seinen Erzählungen muthmassen, dass er nicht viel weiter, als in die Gegend der Bructerer gekommen ist. Wenn auch Tiberius Teutschland so sehr überwunden hätte, wie hätten die Teutschen gleich darauf dem Germanicus so grossen Widerstand leisten können? Dass aber Tiberius eben nicht viel in Teutschland ausgerichtet habe, lässt sich aus der Ermahnung des Arminius an die teutschen Völcker schliessen, und Tacitus sagt an einem andern Ort, dass Tiberius nicht ohne Verlust die Teutschen bekrieget habe. Man kan noch hinzusetzen, dass Tacitus allein des Drusus gedencket, dass er

ditionem, in qua tantas gessisse res dicitur, nullam fuisse aliam existimat, nisi eam quam SVETONIVS laudato loco exponit, qui tamen de his omnibus taceat. Quamnam itaque fuisse putat? Equidem haud intelligo. Laudat duos SVETONII [b] locos de bello a Tiberio post mortem Drusi gesto. Ego vero mihi persuadere nequeo, V. D. tantae negligentiae Velleium arguere, vt arbitretur, eum quae A. IↃCCXLVI. a Tiberio gesta sunt, in Actis ad hunc annum omisisse, et ad decimum annum post retulisse. Nec de eo dubitare potest, Tiberium A. IↃCCLVII. in Germaniam ab Augusto missum esse. Omnes enim in eo conspirant antiqui historici, DIO, SVETONIVS, VELLEIVS, ZONARAS et reliqui. Sed colligit ex SVETONII locis, eum vltra fines Bructerornm haud peruenisse. Ex quibusnam vero quaeso? Cuncta, quae SVETONIVS de hoc, de quo nos quaerimus, bello exponit, haec sunt: *Data rursus potestas tribunitia in quinquennium, delegatur pacandae Germaniae statns.* Ipse vir doctus mentionem huius loci facit, verum addit, demandatas quidem esse Tiberio res Germanicas, sed Illyrici defectionem eius conatus impediuisse. Ast consulat V. Cl. eius temporis rationem, et sine opera inueniet, Tiberium A. IↃCCLIX. demum ad Illyricum bellum discessisse. Verum enim vero alia ei

er den Ocean beschiffet habe, und also von der angeblichen See-Expedition des Tiberius bis die Elbe herauf nichts gewusst hat. Ja er setzet sogar hinzu, dass es nach der Zeit niemand versucht habe.

b) Alter est in Aug. c. 21. alter in Tib. c. 9.

ei obſtant dubia. Haud enim intelligit, ſi Tiberius Germanos viciſſet, quomodo ſtatim poſt Druſi filio adeo reſiſtere potuiſſent? Quod argumentum ſi aliquid valeret, eadem ratione de omnibus Druſi bellis dubitare poſſemus. Quamquam enim Druſus Germanos vicit, proximo tamen anno poſt eam victoriam, nouum exortum eſt bellum Germanicum. Hoc vero decimo fere anno poſt acta Tiberii a Velleio expoſita, exarſiſſe, ex TACITO [i] aperte conſtat. Ex quo [k] intelligere poteſt V. D. quod haud ex ingenio VELLEIVS, Tiberium poſt cladem Vari in Germania exercitui praefuiſſe, dicat. Nec maioris ponderis eſt argumentum ex oratione irati Arminii ad milites, et quidem gregarios, depromptum, quae cum ad acuendos eorum animos habita ſit, manifeſtum eſt, Arminium, data opera, rerum a Romanis feliciter geſtarum nullam feciſſe mentionem. Quid vero de duobus TACITI locis dicam, ad confirmandam ſuam opinionem a V. Cl. adductis? Nihil iſta efficiunt. Tiberium enim haud ſine detrimento Germanos debellaſſe, quod ex priori [l] oſtendit, de eo nemo diſputabit, niſi omnis antiquae hiſtoriae expers. Ex altero vero probet mihi quis illud, quod inde elicit Cl. IVSTI, neminem poſt Druſum fuiſſe, qui Ocea-

E 3

i) qui in A. L. I. c. 62. in actis conſulatus Druſi et Norbani, qui incidit in A. IↃCCLVIII. ſcribit, Romanorum exercitum, duce Germanico, *ſextum poſt cladis annum, trium legionum oſſa condidiſſe.*

k) Ex OVIDII quoque L. Triſt. II. optime apparet, bellum cladi Vari proximum a Tiberio eſſe adminiſtratum.

l) De Mor. Germ. c. 37.

Oceanum nauigasset. En TACITI [m] verba: *Superesse adhuc Herculis columnas fama vulgauit. Nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstitit Oceanus in se, simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentauit: sanctiusque ac reuerentius visum de actis Deorum credere, quam scire.* Quid quaeso hoc est, quod *neminem mox tentasse*, dicit TACITVS? Nihil profecto aliud, quam Herculis columnas quaerere. Quod si ex antecedentibus quoque haud satis perspicue appareret, iis tamen, quae sequuntur, *sanctius ac reuerentius visum, de actis Deorum credere, quam scire*, extra omnem dubitationem ponitur. Quo deinceps egregie et acute vsus est argumento V. D. [n] Tiberium in litteris ad Germanicum scriptis, quas apud

m) Eod. lib. c. 34.

n) §. 22. pag. 21. Das beste Zeugniſs, welches wir dem Vellejus Paterculus entgegen setzen können, ist das Bekänntnis des Tiberius selbst. Er schreibt an dem Germanicus: er sey vom Augustus neunmahl in Teutschland geschickt worden. Er habe aber mehr durch Klugheit, als durch Gewalt ausgerichtet. Solchergestalt habe er die Sigambrer zur Ergebung gebracht, und die Sueven und den König Marobod durch den Frieden den Römern verbindlich gemacht. Würde hier wohl Tiberius, der gewiſs vor den Nachruhm ungemein besorgt war, nicht mehr von sich gesagt haben, wenn des Vellejus Paterculus Auffschneidereyen wahr wären? Und damit wir um so gewisser werden, so fährt Tiberius in der angeführten Stelle fort, zu erkennen zu geben, daſs die Züge des Germanicus hauptsächlich zum Angenmerck gehabt hätten, die Niederlage des Varus zu rächen. Dennoch will uns eben der Vellejus aufbürden, daſs Tiberius unmittelbar nach dieser Niederlage die Teutschen genugsam davor gezüchtiget habe; und wiederspricht mithin selbst dem Tiberius, der den Feldzügen des Germanicus diesen Entzweck erst beyge-

apud TACITVM [o] inuenimus, huius expeditionis haud mentionem fecisse, de hac paullo accuratius videamus. *Se nouies a Diuo Augusto in Germaniam missum*, scribit Tiberius, *plura consilio, quam vi perfecisse. Sic Sigambros in deditionem acceptos, sic Sueuos, regemque Maroboduum pace obstrictum.* Quonam itaque in bello vicit Tiberius Sueuos? Num in alio, quam isto, quod VELLEIVS exponit? Sueui ab Albi ac Sala Chalusoque amnibus ad Vistulam flumen vsque inter occasum ortumque, inter meridiem vero ac septentriones a Danubio amne ad oceanum vsque glacialem extensi fuerunt. Locupletissimum huius rei praebet TACITVS [p] testimonium. *Nunc de Sueuis dicendum est*, inquit, *quorum non vna vt Cattorum Tencterorumque gens: maiorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in communi Suevi vocentur.* Post inter illos nominat Semnones, Longobardos, Reudingios, Auiones aliosque. PTOLOMAEVS eitam semper coniungit verba Σεῦβοι Ἀγγέλλοι, Σεῦβοι Σέμνονες et sic porro. Quod vero ad vltimam eius, quam ad probanda ea, quae contra VELLEIVM dixit, affert, rationem attinet, hunc scilicet in eo reliquis istius aeui scriptoribus haud conuenire, quod dicat, Tiberium cladis Vari ignominiam vltum esse, ad eam id modo monemus; si VELLEII fides V. D. haud

beygeleget. Wenn man einen Geschichtschreiber auf einer solchen falschen Nachricht ertappet, so verdienet er gewiss in den übrigen gleichfals nicht viel Glauben.

o) An. L. II. 5, 26.

p) In libro de Mor. Germ. c. 38.

haud satisfacit, DIONEM[s] euoluat, qui in actis A.V. C. IↃCCLXIV. scribit Τιβέριος μὲν καὶ Γερμανικὸς ἀντὶ ὑπάτε ἄρχων, ἔς τε τὴν Κελτικὴν ἐσέβαλον, καὶ κατέδραμον τινὰ αὐτὸν, quod secundum XYLANDRI interpretationem sic transferendum, *Tiberius et Germanicus, cui pro consule erat imperium, impressionem in Germaniam fecerunt, ac populati nonnullas partes sunt.* Habes itaque, lector, argumenta, quibus Cel. IVSTI aggressus est VELLEIVM sat, vt speramus, a nobis expedita. De ipsa vero eius ratione, qua Velleii verba interpretatur[r], differendi nobis haud animus est.

§. XV.

q) LVL. I. p. 586.

r) Transferamus eam huc tamen ipsis auctoris verbis. §. 23. p. 22. Ob man nun zwar solchergestalt vollkommen überzeuget wird, dass des Vellejus Paterculus Nachrichten von des Tiberius grossen Thaten in Teutschland offenbar falsch sind, und nicht den geringsten Glauben verdienen: so ist es doch schwer zu glauben, dass ein vernünftiger Mann, zumahl von des Paterculus Stande und Ansehen, aus eigener Bewegung darauf verfallen kan, sich vor der Welt schamroth zu machen, und Dinge zu schreiben, wovon man damals in Rom eines gantz andern überzeuget seyn musste. Ich bin dannenhero auf die Vermuthung gefallen, dass vielleicht Vellejus Paterculus, als er seine Geschichte entworfen hat, in denjenigen Nachrichten, die ietzo von dem Tiberius reden, die Feldzüge des Drusus beschrieben hat. Gleichwie aber Tiberius die Liebe des Volckes, die es vor seines Bruders Drusus Andencken und dessen Nachkommen hatte, aus seiner misstrauischen Besorgniss vor seine Regierung nichts weniger als gerne sahe, sondern solche vielmehr auf alle Art zu unterdrücken suchte: so kan es seyn, dass Tiberius die Verfertigung dieser Schrifft so ungnädig aufgenommen hat, dass der Verfasser, um seinen Untergang zu vermeiden, genöthiget worden ist, seine Schrift umzuschmeltzen, und dasjenige

dem

§. XV.

DVBIVM QVODDAM REMOVETVR.

Confirmata igitur aliorumque scriptorum testimoniis suffulta VELLEII de bello a Tiberio gesto narratione, propius ad rem nostram progredimur. Putamus enim in hoc bellum Domitianam expeditionem haud inepte collocari posse, classique, quam VELLEIVS commemorat, eum praefuisse, coniicimus. Vt lectores omnem argumenti vim vno quasi obtutu intelligant, quae me ad hanc opinionem amplectendam moueant, paucis exponam. Eo omnis nostra redit coniectura, probabile haud esse, Domitium tempore aliquo flumen Albim exercitu transcendisse, quo nullus alius fuerit in Germania Romanorum dux et exercitus. In hoc autem bello duce Tiberio gesto, classem quandam Romanam flumine Albi subuectam, exercitui Caesarique se iunxisse, legimus, cui quis praefuerit, haud traditum. Verum enim vero nec temporum conditio, nec vitae Domitii historia impedit, quo minus in hoc bellum Domitii ponamus res gestas. Removendum hic nobis venit haud leve dubium. Sentium Saturninum in hoc bello

dem Tiberius zuzuschreiben, was er vorher, der Wahrheit nach, von dem Drusus gemeldet hatte. Es ist auch möglich, dass sich Seianus, der ein guter Freund des Vellejus Paterculus war, und der das Andencken des Drusus und seine Kinder eben so sehr hassete, dieser Schrifft seines Freundes bemächtiget hat, ehe sie noch in andere Hände gekommen ist, und entweder den Verfasser zu der Aenderung auf den Tiberius vermocht, oder sie durch jemand anders veranstaltet hat.

bello Legatum Tiberii fuiſſe VELLEIVS dicit, *Cum omnem partem aſperrimi et periculoſiſſimi belli Caeſar vindicaret; in iis, quae minoris erant diſcriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus patris eius in Germania fuerat, praefeciſſet.* DIO quoque eo loco, quem iam laudauimus, Sentio Saturnino inſignia triumphi ex hoc bello decreta eſſe, ſcribit. Hinc probabilius videri poſſet, Sentio Saturnino hanc demandatam fuiſſe claſſem ducendam. Sed ſpectemus totam belli, in quo biennium conſumſit Tiberius, hiſtoriam, tunc facile intelligemus, hanc expeditionem naualem Sentio attribui nullo modo poſſe. Etenim quis quaeſo ſummum in exercitu tenere poterat imperium eo tempore, quo Tiberius Romam profectus, eum in hibernis reliquerat, niſi legatus? Sed miſſa haec facio, coniecturam, quae mihi in mentem venit, aliis quibusdam rationibus, iisque probabilibus confirmaturus.

§. XVI.

ROMANOS IN HOC BELLO POPVLOS TRANS ALBIM QVOSDAM VICISSE PROBATVR.

Contra eos primum erit diſputandum, qui, quamquam claſſem Romanam Albi ſubvectam eſſe, haud negant, exercitum tamen iſtum nullas regiones trans Albim ſitas occupaſſe, ſibi perſuadent. Sed militat pro nobis primum VELLEIVS, qui Druſum *magna ex parte domitiorem Germaniae*, Tiberium vero *omnes Germaniae partes peragraſſe, armisque totam Germaniam*

maniam perlustrasse, memorat. Sed ad grauiora properabimus, classemque istam littora trans Albim occupasse ostendemus. Si in eo fidem adiungimus VELLEIO, quod de classe ista tradit, quae, quo tempore Tiberius vsque ad Albim peruenerat, flumine isto subuecta, cum exercitu eius se coniunxit, temerarium et imprudentem fingeremus ducem, qui, cum se classemque in medium hostium committeret, haud de reditu cogitasset. Quod sane nullo modo fieri potuit, nisi vel Germania trans Albim armis Romanis iam tunc subiecta fuisset, vel is, qui classi praefuit, littoribus fluminis occupatis, castra et praesidia, muniendi itineris gratia, reliquisset. Multa vero obstant, quo minus priorem opinionem amplectamur. Nec enim quibus in regionibus a Druso pugnatum sit, certo constat, nec si omnes ad Albim nationes fuissent ab eo victae, probabile, quid? procul a veritate abest, eas duodecimo anno post Romanae adhuc fuisse ditionis. Ad alterum itaque confugimus, ducemque istius classis, castris praesidiisque relictis, viam, qua posset redire, muniisse arbitramur. Ad eiusmodi castra suam originem referre DOMITZ, oppidum in ripa fluminis Albis in ditione Daneburgica situm, urbemque STADE ad ostium fere fluminis Albis, coniicimus. Mentionem quoque facit ILLVSTRISSIMVS COMES DE BVNAV [s] munimenti cuiusdam a Romanis con-

F 2 structi

s) in nota ad pag. 165. Die Stadt Dömitz oder Domnitz an der Elbe, so wohl auch die sogenannte Römer-Schantze, wovon an der Havel ohnweit Potsdam annoch einige Uberbleibungen zu

ſtructi, cuius aliquae adhuc ad oppidum Potzdam in ripa fluminis, quod Havel vocatur, extent reliquiae, quod ipſum ad iſtam Domitii trans Albim expeditionem referendum eſſe, ex nummis ibi inuentis colligant homines harum rerum periti.* Verum iſtis nunc quidem haud inhaeremus, ad rem noſtram probandam redeuntes. Ipſe VELLEIVS egregium nobis praebet argumentum. *Fracti Longobardi*, inquit. At populum iſtum trans Albim coluiſſe, Cel. CHRISTIVS [t] doctiſſime probat, cuius argumenta plenius huc transferamus. Luculentiſſimum petit teſtimonium e STRABONE [u], quod hic quoque producere iuuabit, Μέγιστον μὲν τὸ τῶν Σεήβων ἔθνος διήκει γὰρ ἀπὸ τοῦ Ῥήνου μέχρι τοῦ Ἄλβιος· μέρος δὲ τι αὐτῶν, καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται, καθάπερ Ἑρμονδοροι καὶ Λαγκόπαρδοι· νῦν δὲ καὶ τελέος εἰς τὴν περαίαν οὗτοί γε ἐκπεπτώκασι φεύγοντες· quae latina, interprete XYLANDRO, ita ſe habent, *Maxima quidem eſt Sueuorum natio-*

zu ſehen, ſollen, wie insgemein davor gehalten wird, von dieſem Zuge des Domitii ihren Urſprung und Nahmen überkommen haben, welches man aus einigen daſelbſt gefundenen Römiſchen Münzen, ſo allein des Keyſers Auguſti Bildniſs führen, muthmaſsen will. Ablegat COMES ILLVSTRISSIMVS eos, qui plura de hoc munimento ſcire cupiunt, ad BVCHERI *Belgium Romanum* et Iac. Paul GVNDLINGII librum quendam, qui inſcribitur *Imperialia*. Nos vero, qui et iſtum BVCHERII locum et GVNDLINGII libellum fruſtra quaeſiuimus, coacti de hoc antiquiſſimi temporis monimento tacemus quamquam magnum ex eod rem noſtram probandam argumentum petere potuiſſemus.

t) in Origin. Longobard. p. 35. et 37.

u) Γεωγραφικῶν libro VII. p. 290. ſec. edit. Caſauboni Par. CIↃ IↃCXX.

natio: nam et a Rheno ad Albim vsque pertingit, et trans Albim habitant pars eorum, vt Hermunduri et Longobardi, atque nunc quidem hi, fuga facta, omnino in vlteriorem regionem se coniecerunt. Affert praeterea TACITI teſtimonia, quorum alterum ex libro de Moribus Germ. [x] eſt, vbi, poſtquam de Semnonibus egit, *Contra Longobardos*, inquit, *paucitas nobilitat, quod plurimis ac valentiſſimis nationibus cincti, non per obſequium, ſed praeliis et periclitando tuti ſunt, Reudingi deinde*, pergit, *et Aviones, et Angli, et Varini, et Eudoſes et Suardones et Nuithones fluminibus aut ſylvis muniuntur.* At populos iſtos trans Albim habitaſſe egregie aſſeruit CLVVERIVS in Germ. antiqua [y]. Alterum in Annalibus [z] inuenitur, *E regno Marobodui Suevas gentes, Semnones ac Longobardos, defeciſſe.* PTOLOMAEVM quoque memorat Cl. CHRISTIVS, quem, vt quamquam Longobardos non iisdem ſedibus, quibus alii, collocauiſſe videatur, Sueuos tamen eos appellans, cum ceteris reapſe conuenire, recte monet. Quod vt lectores eo facilius intelligant, ipſum PTOLEMAEI [a] locum addamus, τῶν δὲ ἐντὸς καὶ μεσογέιων ἐθνῶν μέγιςα μὲν ἐςι, τὸ τε τῶν Σεήβων τῶν Αγγιλλῶν· οἱ εἰσιν ἀνατολικώτεροι τῶν Λαγγιβάρδων, ἀνατείνοντες πρὸς τὰς ἄρκτες, μέχρι τῶν μέσων τȣ̃ Ἄλβιος ποταμȣ̃ · καὶ το τῶν Σεήβων τῶν Σεμνόνων· οἱ τινες διήκȣσι μετὰ τȣ̃ ἐιρημένȣ μέρȣς πρὸς ἀνατολὰς μέχρι τȣ̃ Σεήβȣ ποταμȣ̃, i. e. *Populorum introrſus mediterranea colentium maximi ſunt iſti: Sueui Angili ;*

F 3 *orien-*

x) c. 40.
y) L. III. c. 25. et 27.
z) L. IV. c. 45.
a) L. II. c. 11.

orientaliores, quam Longobardi, vergantque versus septentriones vsque ad medium Albis, dein Sueui Semnones, qui trans Albim incolunt, ab dicta amnis parte versus orientem vsque Sueuum flumen. Quo in loco si vel maxime PTOLEMAEVS indicare vellet, cis Albim habitasse Longobardos, contra nos tamen nihil efficeret. Qui enim extrema loci istius STRABONIS, quem laudauimus verba attente legit, νῦν δὲ καὶ τελέος εἰς τὴν περαίαν οὗτοί γε ἐκπεπτώκασι φεύγοντες *nunc quidem hi, fuga facta, omnino in vlteriorem ripam se coniecerunt*, facile intelliget, quo modo factum, vt PTOLEMAEVS sub M. Aurelii principatu gegraphica sua componens, cis Albim Longobardos collocasset. Ex his itaque maneat certum probatumque, Longobardos trans Albim habitasse.

§. XVII.

RES A DOMITIO IN GERMANIA GESTAE EXPONVNTVR.

His praemissis facile erit, quas gesserit in Germania res Domitius, definire. Per eandem viam, qua Drusus ad Visurgim peruenit, Domitium ad Albim peruenisse, probabile est. DIO [b] Drusi res, Augusti auspiciis gestas, enarrans, Ἔς τε τὸν ὠκεανὸν, inquit, διὰ τοῦ Ῥήνου καταπλεύσας, τοὺς τε Φρεισίους ᾠκειώσατο, καὶ ἐς τὴν Χαυκίδα διὰ τῆς λίμνης ἐμβαλὼν, ἐκινδύνευσε, τῶν πλοίων ἐπὶ τῆς τοῦ ὠκεανοῦ παλιρροίας ἐπὶ ξηροῦ γενομένων, hoc est. *Inde secundo*

b) L. LIV. p. 544.

do Rheno in Oceanum deuectus Frisios, perdomuit: et quum per lacum in Chaucorum fines traiiceret, in periculum incidit, naui bus maris refluxu in ficco destitutis. Maxime nobis placent, quae CLVVERIVS [c] in hoc illustrando loco coniecit, DIONEM scilicet *lacum* hic appellare, quod nunc vulgari vocabulo het Wat id est *mare vadosum* inter Frisiae vtriusque continentem et insulas obiacentes, vocatur, quia nullus sit alius locus nauigationi ex Frisiis in Chaucos commodus. DIONEM certe verum locorum situm ignorantem, quae de lacu in Frisiis Fletione marique vadoso inter hunc et Chaucos audiuerat, facile inducere potuerunt, vt Oceanum ante lacum poneret, vadosumque mare lacum appellaret. Classis itaque, cui praefuit Domitius, e Belgio Hollandia maxime et Frisia soluit, (si coniecturae locus est,) indeque trans Amisiae ostium per ipsa Oldenborgii Bremensisque Archiepiscopatus littora in Albim illata, Chaucos et Cheruscos vicit. Ad caput Luppiae circa Alisonem castellum Cheruscorum regioni finitimum, hiberna habuerat Tiberius. Inde per Cheruscorum, qui in Romanorum amicitiam ab eo tunc erant recepti, terram ad Chaucorum fines progressus est. Eodem tempore in ripa Albis, quam Chauci accolebant, castra posuisse Domitium, coniicio. Oppidum, quod nunc vocatur STADE haud procul ab Albis ripa situm, haud dubitauerim, quin ad hoc bellum originem suum referat, vetustissimum profecto, cuius vel nomen Romanae originis esse videatur, quasi locus

c) in Germ. ant. L. III. p. 65.

locus quondam dictus ſit, *nauium Romanarum ſtatio.* Tandem in regione, vbi nunc Domitium eſt, appulit, caſtra poſuit, et Longobardis, qui ſupra Domitium oppidum ſedes habebant, victis, cum exercitu Tiberii ſe coniunxit. Ad quamnam vero regionis ad Albim ſitae, partem peruenerit Tiberius, vix coniicere audeo. Cum enim tanta ſit in definiendo loco, quo Druſus caſtra poſuit, ſententiarum varietas; quis quaeſo in communi antiquorum ſilentio, de Tiberii expeditione aliquid certi ſtatuere poteſt? Veruntamen regionum illarum natura atque ſitu diligenter perſcrutatis, perpendens, Chaucos extremam earum, quas cis Albim vicit Tiberius, fuiſſe gentem ad eundem fere locum, quo antea Druſus, hunc queque caſtra locaſſe, arbitror. Druſum vero vsque ad eam regionem perueniſſe, puto, vbi nunc vrbes Stendal et Tangermunde ſunt ſitae. PTOLEMAEVS enim nominat locum ad Albim, Τροπαια Δρυσυ, Trophea Druſi, a ſeptentrionali latere montis Meliboci. In hac regione multa Romanorum inuenta eſſe omnis generis arma, nummos, cetera, inter alios narrat ENZELT, qui ipſe ea vidit. Tiberium vero ad inferiorem Albis ripam haud duxiſſe exercitum ex VELLEIO colligimus. Praeter Chaucos et Cheruſcos enim nullas memorat nationes, quas inter Viſurgim et Albim aggreſſus ſit Caeſar: eademque praeterea via redeundum illi erat, qua in Cheruſcorum et Chaucorum penetrauerat regiones. Reſtat, vt cauſſam VELLEII contra eos agamus, qui eum adulationis erga Tiberium arguunt,

arguunt, quod dixerit, *ad quadringentesimum milliarium a Rheno vsque ad flumen Albim Romanum perductum esse exercitum*, cum alias haud amplius CCXL. millia passuum reperiantur in itineris huius designatione. Ipse STRABO eum defendit hisce verbis: Διέχει δὲ τȣ̃ Ἄλβιος ὁ Ρῆνος περὶ τρισχιλίȣς σαδίȣς εἰ τις εὐθυπορέσας ἔχει τὰς ὁδοὺς· νυνὶ δὲ δια σκολιᾶς καὶ ἑλώδες καὶ δρυμῶν κυκλοπορεῖν ἀνάγκη i. e. *distat ab Albi Rhenus* IIICIↃ *stadiis circiter, si quis recto itinere proficiscatur, sed ob amfractus et paludes saltusque per circuitum eo ire necesse est.* IIICIↃ stadia sunt CCCLXXV. millia passuum. Certum vero est, illud Tiberii iter per amfractus atque circuitus paludum saltuumque esse factum.

§. XVIII.

DE TRAMITE A L. DOMITIO AHENOBARBO AGGERATO.

His peractis, quae instituti ratio, ipsaque dissertationis inscriptio iubebat, de tramite a L. Domitio Ahenobarbo in Germania aggerato, paucis agamus. In quo quaerendo, cum multas variasque inueniamus opiniones, vt ordine procedat disquisitio, quem iam supra adduximus TACITI locum, hic repetere iuuabit [d]. *Reducto ad Amisiam exercitu, legiones vt aduexerat, reportat, pars equitum littore Oceani petere Rhenum iussa, Caecinna, qui*

d) A. L. I. c. 64. 65.

qui suum militem ducebat, monitus, quamquam notis itineribus regrederetur, pontes longos quam maturrime superare. Angustus is trames est vastas inter paludes et quondam a L. Domitio Abenobarbo aggeratus. Diuersos in locos hos posuerunt *Pontes longos* viri docti. CLVVERIVS [e] eodem situ eos fuisse putat, quo nunc etiam vasta satis est palus in medio inter oppida Ham, Alem et Lunighausen, longitudine X. circiter millium. Nec sane temere. Quae enim de tramite isto memorat TACITVS, optime cum hac regione conuenire dicit, nec enim riuos hic circum complures ex collibus oriuntes, quorum quidam in Lupiam, alii in Amisiam defluerent, nec sylvas deesse. Quod autem plures ab longis pontibus sylvas superesse, diceret TACITVS, id Caesiae syluae obscurisque saltibus conuenire, per quos Germanicus measset. Domitium itaque hanc viam ad Alisonem castellum duxisse, et tramitem per paludes inter dicta oppida Alem et Lunighausen aggerasse putat. En CLVVERII sententiam, cum quo autor Panegyrici ad Serenissimum Principem de Furstenberg, quem supra laudauimus, consentit. Nec tamen placuit haec coniectura MENSONI ALTINGIO [f] Consuli Groningano; Qui cum intelligeret, Domitium haec adinuenisse compendia viarum, vt eo facilius procederet ad Albim expeditio, eum hos pontes longos inter Bructerorum et Frisiorum paludes struxisse, coniecit, quod, vt arbitratur, tum ex eius

e) L. III. cap. IX. pag. 35. edit. Elzevir.

f) In Notit. German. Infer. T. I. pag. 53.

eius itinere ſueto Romanis a Rheno in Viſurgim ducentibus, tum maxime e A. Caecinnae itu et reditu inter Rhenum et Amiſiam praeclare innoteſcat. Ibi igitur tramitem Domitianum fuiſſe vult, nec non in inferiori regione in ipſis Bructeris, vbi Lichtvoorde, Brevoorde, Walvoorde, Lanckvoorde, hodie Boertange, Valterdick, Loeworden. Ab vtroque diſſentit LIPSIVS [g] vir in hoc litterarum genere verſatiſſimus, qui ex ipſa deſcriptione TACITI, illum eſſe tramitem, qui hodie extet, et aliquot milliarium ſpatium occupans, vſui ſit inter paludes haud procul Amiſio flumine inter *Lingam*, *Weddam*, *Coevordam* colligit. Noſtrum nunc eſſet, aliquem horum ſectari, eiusque coniecturam nouis confirmare rationibus. Sed cum difficillimum ſit, certum tramitis iſtius conſtituere locum in regione, in qua frequentiores paludes reperiuntur, cumque nulla illarum opinionum acutior altera vel probabilior eſſe videatur altera, nec valde a ſe differant, nobis ſuperſedere eo labore liceat. In eo tamen nos a LIPSIO diſſentire confitemur, quod dubitet, vtrum ad ſecernendos diſcriminandosque Germanos, an pro aggere et via ſtructus ſit hic trames. Haud intelligimus, quid habuerit Vir doctiſſimus, cur de eo dubitaſſet? Aptiores enim eſſe paludes ad ſecernendos hoſtes putamus, quam aggeres. Accedit et hoc, quod Romanis nullus fere vel maxime difficillimus per limoſas iſtas regiones in interiorem Germaniam fuerit aditus, adeo vt eiusmodi viis aggeribusque opus omni-

g) in Comment. ſuo ad hunc locum Taciti.

no habuerint. Tempus tandem nobis definiendum venit, quo exſtructus ille a L. Domitio eſt agger. Condidit illum, vt iam monui, tempore pacis, quod ad eiusmodi opera, ad vallum ſtruendum, ad foſſas ducendas ipſis militibus vti ſolebant Romani. Apud LVCANVM [b]

Franguntur montes, planumque per ardua Caeſar
Ducit opus, pandit foſſas, turritaque ſummis
Diſponit caſtella iugis, magnoque recurſu
Amplexus fines, ſaltus nemoroſaque Teſqua
Et ſyluas vaſtaque feras indagine claudit,
Non deſunt campi, non deſunt pabula Magno
Caſtraque Caeſareo circumdatus aggere mutat.
Flumina tot curſus illic extorta fatigant,
Illic merſa ſuos, operumque vt ſumma reviſat,
Defeſſus Caeſar mediis intermanet caſtris,

Obſeruanda quoque ſunt inſignia VOPISCI et DIONIS CASSII [i] loca. Is tradit, milites eo tempore, quo haud contra hoſtes ducerentur, iuſſos eſſe, vrbes condere, καὶ ὅτως ἐκεῖνοι ὑπομείναντες τὸ Λουγούδουνον μὲν ὀνομαθὲν νῦν δὲ Λούγδουνον καλέμενον ἔκτισαν, *itaque illi ſubſiſtentes Lugdunum, quod olim Lugudunum vocatum fuit, aedificarunt.* TACITVS [k] vero machinas a legionariis peritia et arte praeſtantibus ſtructas commemorat [l]. Quod cum multis exemplis et teſtimoniis ſtabiliri probarique poſſet,

b) L. VI. v. 38. ſeqq.
i) L. XLVI. p. 323.
k) Hiſt. L. IV. c. 30. Vopiſc. in Probo c. 9.

l) In pace etiam alia opera ſtruxiſſe milites, ex TACITO et VOPISCO diſcimus. Ille enim L. II. Hiſtor. c. 67. exponit, *le-*

poſſet, haud vereor fore, qui tam pertinacem ſe in eo nobis concedendo oſtendat, vt inter bellicos ſtrepitus, praeſenti hoſte confectum hoc eſſe opus putet. Cum enim Caecinna ne caſtra quidem, praeſente Germanorum exercitu, in eadem regione ponere et munire poſſet, quo quaeſo modo L. Domitius tantum aggerem quorundam milliarium ſpatium occupantem, per vaſtas paludes ſtruere potuiſſet, niſi militibus hoſtium metu liberis, per otium accingere ſe operi licuiſſet. In tempore vero ipſo definiendo maxime ſe mihi commendat BVCHERII opinio, qui nullum ei aptius inuenit iſto poſt finitum A. V. C. IↃCCXLVII. bellum. Legatum itaque eo tempore fuiſſe L. Domitium Ahenobarbum, Auguſti in Germania, et ob vniuerſam per iſtam prouinciam pacem, militum ſuorum opera hunc exaggeraſſe tramitem, opinor. Confirmat hanc coniecturam bellorum circa id tempus geſtorum hiſtoria. Ex eo enim, quod legimus, Tiberium antea in hac regione Rheno propinqua pugnaſſe, colligo, Legatum, cui demandata fuit Germania, cum Legionibus ſuis in Bructerorum vicinorumque finibus manſiſſe. Domitium in hac prouincia ſequutus eſt M. Vinicius. Ex verbis

 enim

gionem Tertiam decimanam ſtruere amphitheatra eſſe iuſſam. Et Valentinianus, vt VOPISCVS c. 9. teſtatur, quendam Aradionem in pugna occiſum *ſepulchro ingenti* honorauit, tumulo vsque ad ducentos pedes lato, per milites, quos numquam otioſos eſſe paſſus, erecto.

enim VELLEII, *sub M. Vinicio, auo tuo, clarissimo viro immensum exarserat bellum*, apparet, Vinicium eo tempore Augusti fuisse Legatum in Germania, quo istum exortum sit bellum.

Corrigenda.

Pag. 5. l. 11. tollas *haud* p. 6. l. 4. leg. τιμητὴν not. g. l. 3 leg. XCIV. l. 7. *Annuariam*, vt et p. 7. l. 2. p. 11. not. r leg. LV. p. 7. not. *b*. leg. L. LIV. p. 13. l. 21. leg. LIV. et in not. *n. hoc superfedere labore.* p. 15. in not. z. tollas *Hand.* p. 34. l. 22. leg. *metu* p. 37. in not. t. l. 2. leg. *Corbani* et LXVIII. p. 40. not. q. leg. L. LVI. Reliqua, in quibus parum diligentes fuerunt operae, B. L. facile emendabit.